



DISPUTATIO JURIDICA

De

FOROCOM-

PETENTI.

Ex D. C. Instit. Decret. alijsq; concurrentibus  
titulis & LL. eruta & digesta

Quam

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

*Auctoritate Magnifici & Amplissimi Jureconsultorum  
Ordinis, in Illustri Septemvirali ad Albim Academia,*

PRÆSIDE

**Dn. JOHANNES STRAUCHIO,**  
J. U. D. & Antecessore, Serenissimi ac potentissi-  
mi ELECTORIS SAXONICI Consiliario, Collegij Juridici  
Ordinario, Curia Electoralis & Consistorij Ecclesiastici  
Wittebergensis Assessore,

*Publicè ventilandam proponit*

**JONATHAS HARTVVIG.**  
STOLPA-POM.

In Acroaterio Jctorum

*Ad diem 20. Junij, horis à septimâ matutinis.*


Valer. Maxim.

*Expugnentur licet Urbes, corripiantur Gentes, Regnis manus injiciantur, nisi FORO  
& CURIAE officium ac verecundia sua constiterit, partarum rerum caelo cumulus  
aquatus, sedem stabilem non habebit.*

WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr. Anno 1635





Faint, mirrored text impressions from the reverse side of the page, including the word 'FORO' at the top and other illegible words and lines of text.





## PROOEMIUM.



*Rerum omnium duo plerumque  
constituuntur fines: Unus proprius, suavis-  
sima illa & maximè necessaria hominis sani-  
tas, sive corporis εὐσχία, quam referente A-  
ristotele lib. 1. Eth. c. 4. plurimi tantæ lau-  
dis encomio venustarunt, ut in eà summum  
hominis bonū sive εὐπραχίαν posuerint. A-  
lius Communis, societatis humanae utilitas  
& conservatio, quæ Justitiā & Judicijs tanquam firmissimis nititur  
fulcris, quorum basis & fundamentum, non modò Augustissimorum  
Impp. Rescripta & Constitutiones clementissima, sed & divina sunt  
Oracula. Postquam enim fragilis & ad delinquendum prona homi-  
nis extiterat natura, attinebat remedia quedam conquiri, quibus i-  
gnorantia errantium instrueretur, & malitia delinquentium publicā  
autoritate coerceretur, l. 1. & 2. ff. de LL. Hinc à primo statim evo  
ipse Jehovah Justitiam & Judicia exerceri jussit Deuteron. 17. v. 1.  
cui etiam judicandi muneri juvandā salute profuit ipse Moyses Exod.  
18. v. 15. & 16. quod & postea inter ejus successores, quos jam non inda-  
go, eousq; adolevit ætatis, donec tandem ad Romanum Imperium  
fuit perventum. Quod cum in Oriente desierat, & in Occidentem  
translatum erat, summa judicandi potestas, Imperijq; Majestas pe-  
nes Imperatorem seu Casarem esse cœpit. Ubi verò Imperator pro  
tribunali Provinciarum, Urbium, Arcium, Civitatum, Pagorum &c.  
quibus Imperium abundè scatet, sedere nequaquam poterat, neq; ejus  
Majestati congruum videbatur, varij pro diversitate loci ac temporis  
inferiores Magistratūs & Judices in ejus locum sunt suffecti, qui tan-  
quam vicarij ejus publicam curam susciperent §. 4. & 5. Inst. de At-  
til. tut. auctoritatem Principis referrent, l. 1. in pr. ff. de Offic. præfect.  
prætor. dignitatem Imperij consilijs suis sustinerent. Cic. lib. 3. in pr.  
de LL. & Rempub. in partibus suis sibi concreditis gubernarent, §. ult. in  
procem. Instit. Ut autem constare posset, cum cui Magistratus & Ju-  
dices jus dicere, tum cui litigantes parere haberent necesse, materiam*



Judiciorum Foriq; competentis & incompetentis breviter & succincte delineare, publicaq; συζητήσει subijcere opera precium duximus. Et quamvis hęc quoq; laudes hujus materiae edecumanda forent, adversariorumq; frontes, hujus dignitatem & sublimem auctoritatem viperino morsu incessantium & infestantium, validiori manu corruganda; tamen cum sit in aprico quid de his, velut male fame hirudinibus sentiendum, & sublimissimi viri jam olim eos risu in omne tempus proscindendos judicarent, nostri non erit instituti, cineres inanis hujus controversia refovere in flammis, aut metam obstinata liti absolutā definitione ponere, sed eò, uti diximus, molimina opera nostra adjuncta Dei extendere, ut magnam illam & altam, quotidianam tamen valdequē necessariam Iudiciorum seu Fori competentis materiam paucis pertraheamus & καδδύναμιν defendamus; quam ob causam sequentes subnectimus theses.

I. **F**orum seu Forus (ut Isidorus, Lucilius, Pomponius Arellanarius, & Marius Victorino loquuntur,) M. Varrone testante lib. 1. de ling. lat. deducitur à ferendo, quod eum in locum litigantes deferant controversias, pro ut negotiatores res, quas vendere cupiunt; & intelligitur varijs modis. Cicero enim pro Rege Dejotaro Fori appellatione subsellia intelligit, hoc est, judicia publica, quæ sub dio, aut in eo loco, unde cœlum facilè perspicere possent, exercebantur: Varro, macellum: Livius, omnia quæ extra Urbem erant majora & minora Oppida, Castella & Loca: Servius, negotiorum agendorum tempora & loca: Nobis Forum dicitur sedes, ubi lites & controversiæ judiciales exercentur, seu locus publicus, in quo Magistratus jus dicit & judicat, c. forus 10. de V. S. Cujac. in parat. C. de Jurisd. & for. compet. Wesenb. in parat. ibid. Rosbach. in prax. civil. tit. 3. n. 1. Vult. ad l. 1. C. de Jurisd. & for. comp. n. 5. Francisco Polleto lib. 1. hist. for. Rom. c. 2. dicitur causarum officina & veluti quoddam juris diribitorium, quod Magistratus videntur habere activè, in quo sc. ipsi jurisdictionem suam exercent, litigantes passivè, videlicet in quo conveniantur, litesque dirimantur Vult. de loc. n. 7.

II. Forum illud est vel Competens vel Incompetens. Competens est ordinaria Jurisdictionis sedes l. nemo 4. C. de Jurisd. vel con-



congruum & proprium tribunal, ubi Reus ab Actore conveniri debet, quacunque de re agatur, *Cujac. d. loc.* Incompetens contra est vetitum, incongruum & alienum tribunal, cui Reus subjectus non est *t. t. C. si à non compet. jud. Et c. l. in criminali 3. C. de Jurisd. omn. jud. Rosbach. d. loc. n. 3.* Hinc etiam Judex dicitur vel Competens *l. pen. in pr. ff. de Jurisd. l. 1. C. eod. t. l. 2. §. un. ff. si quis in jus voc. non ier. seu Suus, l. ult. C. si à non comp. jud. l. magisteria 6. C. de Jurisd. omn. jud. l. venditor 49. ff. de Judic. Vel Incompetens d. l. t. C. de Jurisd.* Quod Actori cuiusvis fidæ exploratione disquirendum venit. Si enim lites suas coram incompetente iudice anisus fuerit, non modò spebus suis inanis exitus illudet, sed & injuriæ laqueos, cum causæ amissione invadet *l. in criminali 5. §. 1. C. de Jurisd.*

III. Hanc Fori competentiam constituunt Modi quidam: vel Principales, ut sunt 1. Domicilium, *l. juris ordinem 2. C. de Jurisd. c. ult. de For. compet. l. nec ipsi 2. C. de Incol. l. heres absens 19. §. 2. ff. de Judic. 2. Contractus, d. c. ult. de For. comp. c. Romana 1. §. contrabentes eod. t. in 6 d. l. heres absens 19. ff. de Judic. 3. Delictum, d. c. ult. de For. comp. l. 1. C. ubi de crimin. agi oport. 4. Res sita, l. un. C. ubi de heredit. agat. l. ult. Et t. t. C. ubi in rem act. exerc. deb. d. c. ult. de For. comp.* Vel minus Principales, utpote Causæ, *l. 1. Et t. t. C. ubi caus. fiscal. c. si clericus 5. c. quod clerici 9, c. ex tenore 11. de For. comp.* Connexitas causarum, *t. t. ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat. & Privilegium, seu Personæ conditio, l. un. C. quand. Imp. inter pup. vel vid. l. 1. C. de offic. divers. jud.* Quæ omnia & singula cum augmenta poscant, operam nostram iis venditabimus.

IV. Et ut viâ rationeque progrediamur, intio modum primum sortiendi forum, qui est Domicilium perpendemus. Illud autem dispecimus in Commune & Privatum. Commune olim fuit Urbs Roma, quæ Orbis terrarum dicebatur domicilium. *Cornel. Nepos in vita Pomponij Attic. & communis patria l. Roma 33. ff. Ad Municip. l. si duas 6. §. 11 ff. de Excusat. l. eos qui 9. in pr. ff. de vacat. Et excusat. mun. l. relegatus 19. ff. de Interd. Et Releg. ubi quotquot Imperio Romano vectigales erant, conveniri poterant, licet ibidem neque contraxerant, neque deliquerant, neque res quæ vindicabantur sitæ erant, l. nec non 28. §. 4. ff. Ex quib. caus. major. Cujac.*



*ad c. ult. de For. comp.* ita tamen, si Romæ inveniebantur; absentes enim è Civitate suâ nō evocabantur, *l. consensisse. 2. §. omnes 4. & d. l. heres absens 19. ff. de Iudic. & nisi habebant jus domum revocandi d. l. 2. §. 3. & seqq. l. 1. si quis 5. l. si quis 7. l. non aliàs 24. & seqq. ff. de Iudic.* Hodie statu mutato, ubi Roma sedes Pontificis facta est, *Novell. 9. in pr.* communis patria esse desijt, nec quisquam civis Romanus reputatur, nisi Româ oriundus, aut specialiter Civitate Româ donatus sit, *Cujac. ad d. c. ult. de For. comp.*

V. Privatum domicilium partimur in Naturale seu Originis, Nativitatis ac Patriæ, & in Accidentale seu Habitationis. Naturale dicitur, quod ex ipsa origine naturaliter provenit, seu unde quis oriundus est, *l. pen. ff. de Senat. l. filios 3. C. de Municip. & Orig. lib. 10.* vel etiam ejus parentes; *l. assumptio 6. §. 1. ff. Ad Municip.* Effectus hujus Naturalis domicilij fuit olim in munerum civilium, cujusmodi est, Magistratus Municipalis, Decanatus, Syndicatus, Tutela &c. *l. 1. ff. de mun. & honor. delatione & injunctio- ne, l. honor 14. §. 3. ff. de mun. & honor. l. 1. & l. filios, 3. C. de Municip. & orig. lib. 10. Iob. Goedd. ad l. 190. de V. S. n. 4.* cui cives originarij de jure Civili ita mancipati videntur, ut haud unquam, quocun- que etiam se suaquè bona transferant, terga dare possint, *l. pen. & ult. C. de municip. & orig. lib. 10. d. l. adsumptio 6. in pr. l. filij 22. §. 2. ff. ad municip.* ex contrariâ tamen & generali omnium fermè lo- corum consuetudine, cum primis Germaniæ, Originarium civi- tati suæ & privilegij ejusdem renunciantem, ac domicilium aliò transferentem, civem esse desinere, omniaque pristinæ civitatis privilegia, immunitates & jura, etiam respectu munerum & offi- ciorum publicorum amittere, compertum est, *l. ex facto 35. §. 3. ff. de Hered. instit. Iason ad l. 1. §. hujus studij 2. ff. de l. & l. n. 15. Bl. in l. 2. C. de Infant. expos. Gail. lib. 2. obs. 36. n. 7. & seqq. Matth. de Afflict. decis. 384. per tot.* Hinc originarius in domicilio originis renunciato conventus Fori præscriptione uti, & ad Judicis ordi- narij judicium revocare potest, *Paurm. lib. 2. de Jurisd. c. 8. n. 38. Zang. in tr. de Except. c. 1. n. 28.* In dubio tamen Reus conventus domicilium in loco originis habere præsumitur, arg. *d. l. 3. C. de municip. & Orig. l. nihil interest 26. ff. de captiv. & postlim. revers.*



*Glos. ad d. l. 6. ff. Ad Municip. ad verb. mutare Cyn. ad l. 2. C. de Iurisd. n. 3. Cujac. ad d. l. 3. C. de municip. & Orig. eousque, donec domicilium aliò se transtulisse probaverit, arg. l. ab ea parte 5. ff. de Probat. & presump. Probatione factâ Reus ab instantia absolvendus, & Actor ad Forum Rei competens remittendus erit.*

VI. Accidentale seu Habitationis domicilium est, ubi quis la-rem rerumq; ac fortunarũ suarũ summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, *l. cives 7. C. de Incol. lib. 10.* seu locus in quo quis habitat eo animo, ut ibi perpetuò consistat, nisi quid avocet *Donell. lib. 17. comment. c. 12.* Hoc constituunt 1. Habitatione, sine quâ domicilium nullum est, *l. domicilium 20. ff. Ad Municip.* Etsi enim quis in aliquâ Civitate non unam, sed plures possideat domos, si tamen illas non inhabitet, illic domicilium non habet, cum ex mente Papiniani *l. libertus 17. §. sola domus 13. ff. Ad Municip.* sola domus possessio, quæ in alienâ Civitate comparatur, domicilium non faciat, *l. cum neq; 4. C. de Incol. lib. 10. Donell. d. loc. Wes. conf. 1. n. 57.* sed jus, quo quis utitur cum civibus alicujus civitatis, *Vult. ad l. 2. C. de Iurisd. 2.* Animus perpetuò consistendi, sine quo nomen domicilio datum non præsumitur. Unde, qui remoto ejusmodi animo temporis causâ, licet illud per aliquam multos annorum dies possessione adolescat, alicubi commorantur, domicilij habentis non frænantur. Sic qui legationis munere fungentes alicubi domum conduxerunt, aut qui mercantiam exercentes alicubi constitierunt, aut qui artibus liberali ingenio dignis incumbentes alicubi permanserunt, animo tamen repetendi præscos lares, negotijs peractis, studijsque completis, domicilium non contraxerunt, *l. nec ipsi 2. C. de Incol. lib. 10. Donell. d. loc.*

VII. Ubi verò dubitatur de animo cujusque ex duobus hisce dignoscendus erit. 1. ex munijs vitæ quotidianæ, quæ si quis non minus ibidem obeat, quàm ejus loci cives & inhabitatores, omniumq; ejusdem loci commodorum potiatur, domicilium contraxisse non immeritò reputabitur, *l. Labeo indicat 5. l. ejus qui 27. §. 1. ff. Ad Municip. Senatores 2. in fin. C. ubi senat. vel Clarif. 2.* ex personæ conditione, si alicujus conditio ea sit, propter quam certo in loco semper consistere necesse sit, utpote Senatores, *l. Senatores 8. C. de Incol.*



*Incol. l. filij 22, § pen. ff. Ad Municip. l. pen. ff. de Senator. Milites, ubi merent seu inhærent, si nihil in patria possideant, l. municeps. 23. §. un. ff. Ad Municip. Relegati eo in loco, in quem relegati sunt, d. l. 22. §. relegatus 3. ff. Ad Municip. qui tamen domicilium, unde arcentur retinere possunt, d. l. 27. §. ult. ff. Ad Municip. cum inibi procuratorem habere queant, l. Papinianus 20. ff. de Minor. l. sed & si 26. §. 1 ff. ex quib. caus. major. Vide de his tribus personarum generibus Petr. Gregor. Tholos. syntagm. jur. univ. lib. 18. c. 13. n. 21. 24. & 26.*

VIII. Vidimus qui ex personâ propriâ domicilium contrahant, ejusdemquè requisita, habitationem sc. & animum perpetuò consistendi. Restat videamus hîc, qui respectu alterius domicilij nexu obstringantur. Sic 1. ex personâ maritorum uxores, l. pen. in pr. ff. de Iuris d. l. fin. §. item rescripserunt mulierem. 3. ff. Ad municip. l. fin. C. de Incol. Bl. in l. si uxorem. C. de condit. insert, ut & viduæ, quamdiu in viduitate permanent, è mariti dignitate ac domicilio æstimantur, & munera incolarum subeunt, d. l. 22. §. vidua 1. ff. Ad Municip. l. fin. C. de Incol. lib. 10. l. exigere 65. ff. de Iud. c. l. un. C. de Mulier. in quo loc. lib. 10. dummodò matrimonium sit legitimum, arg. §. si adversus 12. Inst. de Nupt. l. de jure 37. §. fin. ff. Ad Municip. Secus est in desponsatâ, quæ sponsi domicilij & dignitatis expers est, l. ea quæ 32. ff. Ad Municip. Decian. in tract. crim. lib. 4. c. 9. n. 54. Petr. Gregor. Tholos. d. loc. n. 25. 2. Ex persona Patrisfamilias, domicilium habere existimantur, qui ex ejusdem familia sunt. Sic Libertus ejusquè filij domicilium sui patroni sequuntur, d. l. adsumptio 6. §. fin. d. l. libertus 17. §. ex causa 8. d. l. filij 22. in pr. d. l. ejus qui 27. in pr. ff. Ad Municip. l. 2. C. de Municip. & Orig. lib. 10. & si plures sint Patroni, omnium libertus sequitur domicilium, l. si quis 7. ff. Ad Municip. Pari modo filius adoptatus acquirit domicilium patris sui adoptivi l. ordine 15. §. fin. ff. Ad Municip. sed post emancipationem illud amittit, & civis seu Incola civitatis ejus esse desinit, l. sed si 16. ff. Ad Municip. l. in omni 13. ff. de Adopt. & emanc. l. pen. §. fin. a. 2. C. eod. Clericos etiam ex personâ patrisfamilias domicilium & forum consequi tradunt Decian. d. c. 9. n. 47. & seqq. ac Farinac. q. 8. n. 46. 3. Ex persona Defuncti, Heres, ut  
ibi



ibi praesens conveniatur & absens defendatur, ubi Defunctus conveniri debuit, nulloquè suo privilegio excusetur, *d. l. heres absens 19. in pr. ff. de Iudic. Donell. d. lib. 17. comm. c. 11. Paurm. lib. 2. de Iurisd. c. 4. n. 92. § 93 & c. 8. n. 56.* 4. Ex personâ sui Principalis, Defensor, sive sit voluntarius sive jure coactus; quisquis enim alienæ litis defensor est, ejus judicem sequi debet, quem judicio defendit. *arg. l. venditor 49. ff. de Judic. Donell. d. loc.* Et hæc presso quasi dente dicta sunt, de primo sortiendi forum modo, Domicilio sc: in quo Regula observatu digna obtinet: Unumquemque ibi defendi debere, ubi domicilium habet *d. l. heres 19. §. 1. & ult ff. de Judic. d. l. 2. C. de Jurisd.*

IX. Jam dicendi seges nascitur de contractu, qui secundus principalis Forum sortiendi modus. Quamvis autem vocabulum contractus specialiter & usitato loquendi more acceptum, dumtaxat denotet id, quod mutuo consensu, unde Obligatio gignitur, fit vel geritur, & distinguatur à Quasi Contractibus §. 2. *Inst. de Obligat. l. Labeo 19. de V. S. Generaliùs tamen hujus materiæ intuitu usurpatur, l. omnem 20. ff. de Iudic. l. aut ubi 3. ff. de Reb. auct. jud. poss. d. l. 2. C. de Iurisd.* ita ut sub se, comprehendat etiam Quasi contractus, *l. qui loco 27. l. si in area 33. ff. de condiç. indeb. & Distractus. l. ab emptione 58. ff. de Pact. Covar. lib. 1. var. resol. 4. n. 1. Iohan. Monach. in præjudic. p. 2. c. 6. princip. n. 28. Matth. Steph. lib. 1. de Iurisd. c. 29. n. 5.*

X. De Contractu in specie sic dicto ita jus est: Ubi quis contraxit, ibi unumquemque si cum eo agatur, se defendere debere, *c. fin. de For. comp. c. 1. §. contrahentes, de For. comp. in 6. l. aut ubi 3. ff. de Reb. auct. jud. poss. l. ult. in fin. ff. de condiç. tritic. licet domicilium in ibi nullum habeat, d. l. heres absens 19 §. 2. ff. de Iudic. l. 1. C. ubi de ratiocin. agi. oport. sive Laicus sit, sive Clericus, c. dilecti 17. c. ult. de For. comp. d. c. 1. §. contrahentes, eod. in 6.* Verùm cum hic locus animadversionem quandam recipiat, multifariamquè intelligatur, ut denotet vel locum factæ promissionis, vel locum scripti instrumenti, vel locum destinatæ solutionis, aut traditionis; iccirco notandum, ab effectu contractum desumi, eoquè de loco definiri, in quo solvenda est pecunia aut res tradenda *d. l. aut ubi 3. ff. de Reb. auct. jud. possid. l. contraxisse 21. ff. de O. & A. d. l. heres*  
B  
19. §. ult.



19. §. ult. & ibi Bl. & Ang. ff. d. Judic. Andr. Tiraquell. de Retraict. lignagier. §. 1. n. 49. Quod si verò promissio desolvendo concepta fuerit generaliter, e. g. ubicumque locorum creditor voluerit; ubilibet debitorem conveniri fas erit, cum in quemlibet locum destinata reputetur solutio, Bl. in l. si quis in scribendo 29. C. de Pa Et n. 2. Ioh. Menach. d. c. 6. princip. n. 33. Zanger. p. 2. c. 1. n. 140. & seqq. Quod si nihil de pecunia solvendâ cautum sit, locus contractus ad significatur is, in quo res gesta est, d. l. heres 19. §. proinde 2. l. argentarium 45. §. 1. ff. de Judic. Cum etiam plerumque contrahentes inter se convenire soleant, contractum non nisi in scriptis & sub confirmatione celebrari & perfici debere, standum erit huic conventioni, quamvis aliàs nec confectio instrumenti super contractu l. exigere 65. ff. de Judic. arg. l. 38. ff. de O. & A. nec confirmatio alterius requiratur, c. 1. de confirm. util. vel in util. Jason ad l. 5. ff. de Jurisd. num. 29. Gail. lib. 2. obs. 1. n. 3. & 4. Rosbach. prax. civil. tit. 3. num. 22.

XI. Quod hæcenus adseruimus, Reum conveniri posse in loco ubi contraxit, interpretandum non tantum de eo, qui in loco contractus præsens est, sed & qui absens, modò bona ibi possideat. Si enim Reus conventus & citatus comparere noluerit, Magistratus seu Judex loci contractus judiciariâ autoritate in obstinatam Rei contumaciam animadvertet, & bona ejus possideri decernet, d. l. heres 19. §. 1. ff. de Judic. l. 19. ff. de in jus voc. t. t. ff. de Reb. aut jud. poss. t. t. ff. Ex quib. caus. in poss. eat. d. c. 1. §. contrahentes de For. comp. in 6. hoc executionis processu, ut Creditorem ex primo Decreto in possessionem bonorum Rei mittat, quo ea vel Custodiæ, l. is. cui 5. in pr. ff. ut in posses. legat. vel pignoris vice, donec veniat responsurus detineat, d. §. contrahentes, c. fin. ut lit. non contest. quod si intra annum non venerit se defensurus, & judici de ejus contumaciâ satis constare videbitur, judex ex officio suo nobili secundum Decretum interponet, & Actorem in verâ possessione esse, eâque frui, fructusque suos facere jubebit, Br. in l. si finita 15. §. Iulianus 16. ff. de damn. infect. n. 40. Panormit. in c. quoniam §. ult. ff. ut lit. non contest. n. 46, uti eos allegat Ves. in parat. ff. de damn. infect. n. 6. Et hoc de jure communi. Secusest de

Jure



Jure Saxonico, ubi neutri locus missioni, sed in contumacem reum condemnatoria fertur sententia, tam quoad damnum litis, quàm quoad ipsum adversarij petitem, non aliter, quàm si principale negotium discussum fuisset, Landrecht lib. 2. art. 9. & art. 24. in pr. & lib. 3. art. 39. §. wenn man für Berichte beschuldigt & seqq. præviâ tamen sententiâ, usque ad legitima impedimenta, Gloss. Lat. ad d. art. 9. lit. A. Gloss. Germ. ad art. 24. quæ si non fuerint diducta, condemnatur in causâ principali, bis auff die hülffe in Halsterlag/ Proceß vnd Gerichtsordnung c. 10. §. im fall aber der Beklagter pag. 24. & 25. Hartm. Pist. lib. 1. quest. jur. civ. & Sax. q. 3. n. 2. & seqq. Rauchb. p. 1. q. 1, n. 1. & 2. Coler. de process. execut. p. 1. c. 2. n. 12. & seqq. & amplius proceditur juxta formam in Constitutione Electorali 32. p. 1. & Edicto Torgensi de Anno 1583. & Proceß vnd Gerichtsordnung c. 39. præscriptam. Actore verò existente contumace Reus ab instantiâ Judicij relaxatur, Reinh. diff. judic. 8. per artic. 9. lib. 2. art. 5. lib. 3. quem citat. VVes. d. loc. in fin.

XII. Sed ut redeamus unde prolapsi sumus, quæritur quid obtineat, si Reus in loco contractus nec versetur, nec bona possideat? Quiescent hîc judicis partes, non quod jus deficiat, sed quod Rei facultates huic territorio exemptæ omnem judicis potestatem diluant: Poterit tamen index hoc severitatis impertire, ut decernat absentis Rei bona autoritate & consensu Magistratus illius, sub quo bona sita sunt, possideri, d. c. 1. §. contrabentes de For. comp. in 6. l. à D. Pio 15. §. 1. ff. de Re judic. cum jurisdictio una aliam optime juvare possit. Et proponuntur à Dd. quinque casus speciales, ubi hic procedendi modus observari solet 1. quando agitur de reddendis rationibus ex administratione tutelæ, curæ, negotiorum gestorum, mandati, pro socio &c. l. 1. & r. t. C. ubi de ratiocin. l. neq. fœmina 54. §. 1. ff. de Procurat. d. l. heres 19. §. 1. ubi Paul. de Castr. ff. de Iudic. Nov. 69. c. 1. §. 1. Zanger. de Except. p. 2. c. 1. n. 188. & seqq. 2. Si Reus malitosè se occultet, vel latitet, ne Citatio ad se perveniat, d. c. 1. §. contrabentes, de For. comp. in 6. Zanger. d. loc. n. 179. 3. Cum in casu moræ se quis ad sistendum personaliter in aliquo loco obligavit, c. ex rescripto 9. & sibi Canonista de Iurejur, Zanger. d. loc. n. 181. Coler. de Process. exec. p. 2. c. 1. n. 99. 4. Si cer-



eo loco solvere, ibidemque se defendere sub juramenti religione promisit, arg. c. si verò 8. c. cum contingat 28. de Iurejur. Auth. & qui jurat C. de Bon. aut. jud. post Zang. d. loc. n. 195. 5. Si fori privilegio specialiter & expresse renunciavit, Matth. Steph. d. lib. 1. c. 29. n. 35. & seqq. plures à regula exceptiones vide apud Mar. Soc. in c. dilecti 17. de For. comp. n. 40. & seqq.

XIII. Tria tamen vicissim Reo Justitiæ suppeditantur fulcimenta, quibus si impendiò innitatur, Actor, quantum suspicamur, cupitis & destinatis suis excidet. 1. Si Mercator advenam iter faciens & adnavigans actutum discessurus, emerit aut vendiderit, causâ hujus obligatus, ubi contraxit defendere se non compellitur d. l. heres 19. §. proinde 2. ff. de Judic. cum hæc personarum conditio hanc conventionis præsumptionem inducat, quod Reus non nisi in loco domicilij ad solutionem compelli voluerit, modò Actor hunc advenam fuisse noverit, & eo non attento, cum eodem contraxerit; quod si verò Actor hunc advenam esse ignoraverit, nil proderit Reo talem se fuisse, sed in loco contractus respondere is manet obstrictus, quippè hæc Exceptio ex consensu nascitur, seu ex eo, quod fortè inter eos actum intelligitur; non potest autem videri in personæ conditionem consensisse, qui in ea erravit, l. consensisse 2. in pr. d. l. heres 19. §. proinde 7. ff. de Judic. Donell. d. lib. 17. c. 14. 2. Si à Marito dos exigatur, qui si alibi domicilium habeat, alibi dotem acceperit, in eâ reputatur causâ, ut non necesse habeat ibi se defendere, ubi de dote convenit, seu instrumentum dotale conscriptum est, sed dumtaxat ubi domicilium habet, l. exigere 65. ff. de Judic. Donell. d. loc. Tholos. lib. 9. Syntag. c. 22. n. 19. Matth. Stephan. d. lib. 1. de Jurisd. c. 29. n. 57. cum seqq. 3. Si Constituenti ratione Constituti lis moveatur; huic non hoc privilegij indultum, ut ubi debetur quod constitutum est, non ubi constituit, iudicium sufferre cogatur, arg. l. si quis in legatione 8. ff. de Iudic. Natura enim Constituti hoc suggerere videtur, ut in eo non Constituti obligationem, sed Constituti causam & originem spectemus, Donell. d. loc. His tribus detractis ratione Fori contractus exceptionibus, non dubitamus, quin generaliter concludatur, Reum ubi contraxit, ad defendendum se, obstringi. Et tantum etiam de secundo sortiendi Forum modo arbitrari licuit.

XIV. Venimus



XIV. Venimus nunc ad tertium modum, qui est Delictum, vel Malefium vel Crimen, quatenus super hoc non Civiliter, seu de privato damno & pecuniâ, quam inde sibi debitam persequitur Actor, tunc enim crimen contractus nomine continetur, *l. Omnem 20. ff. de Judic.* & forum cum contractu commune habet, *Donel. d. l. 17. Comm. c. 16. in pr. Paurm. lib. 2. de Jurisd. c. 4. n. 104. & c. 8. n. 105.* sed criminaliter ad poenam & vindictam criminis publicam agitur. Delinquentem autem variis flagelliari foris fas est, *l. l. C. Ubi de crim. agi oport.* 1. Foro loci in quo delictum est perpetratum, unde ibidē accusatus sese purgare tenetur, *d. l. 1. & aub. qua in provincia C. Ubi de crim. agi oport. Novel. 69. c. 1. l. praes. 3. & l. ult. ff. de offic. praesid. l. ult. ff. de Noxal. act. l. si cui crimen 7. §. pen. ff. de Accus. c. 1. de Raptor. c. 2. de Constitut. in 6.* Nisi sit persona Illustris, quæ in causâ criminali arduâ, in qua non admittitur procurator, coram Principe, vel Cognitore sacro, cui principis Serenitas hujusmodi negotii audientiam vice suâ sacris apicibus mittendis mandavit, comparere & se defendere tenetur, *l. fin. C. Ubi Senat. vel Clariss. Vel Clericus, qui coram Episcopo, non etiam Magistratu Laico, licet in ejus territorio deliquerit conveniendus est, c. etsi Clerici 4. de Judic. c. si diligenti 12. de For. compet.* Ob vægrande tamen delictum ab honore & gradu deijciendus, & competenti judici seculari ad ultionem legibus congruentem tradendus est, *Novell. 123. c. 21. §. 1.*

XV. Quisnam autem commissi delicti locus præcisè dicatur, variè Dd. inter se capita arietant. Petrus Glossator Cynus & alij opinantur, dumtaxat respiciendum esse ad delicti inchoationem seu originem, moti, quod in delictis non finis sed initium attendatur, *l. qui cum major 14. §. sed si 2. ff. de Bon. libert. l. quod ait 23. §. ult. in fin. ff. Ad L. Jul. de Adult. quemadmodum & in vulnere lethali initium temporis, quo vulnus inflictum, non quo cædes insequuta est consideratur, l. huic scriptura 15. §. un. l. ita vulneratus 51. in pr. ff. Ad L. Aquil. Cont. à verò Bart. ad l. libellorum 3. ff. de Accusat. Felin. ad c. ult. de For. compet. n. 14. Decian. tom. 1. lib. 4. c. 17. n. 10. & alij arbitrantur, illum verè dici locum delicti commissi, in quo cecidit percussus, cum in delictis qualitas potius patientis quàm agentis animadvertatur, *l. palam 43. in pr. ff. de Ru. nup. Zang. de**



*Exception. p. 2. c. 1. n. 232. & per subsequutum tandem effectum delictum accipiat formam, per quam est, & dicitur tale arg. l. Julianus 9. §. sed si quis 3. ff. Ad exhib. Sic e. g. mandans delictum, non tenetur de delicto ex mandato, sed ex delicto propter mandatum subsequuto, l. si quis 52. §. neq. verbo 19. ff. de Furt. Nos neutri horum assertioni ad stipulamur, sed oculatio & verior nobis videtur media sententia Castrensis ad l. un. C. Ubi de posses. agi oport. Farinacci in prax. & theor. crimin. lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 44. & seqq. Wesenbecij ad d. l. 1. C. Ubi de crim. agi oport. n. 3. quæ delinquentes utrobique tortiri forum ac conveniri posse, cum in loco delicti inchoati, tum in consummati declarat, per text. express. in d. l. 1. C. Ubi de crimin. agi oport. l. et si 9. §. ult. ff. Ad L. Jul. de Adult. c. 1. de presump. quoniam utrobique delinquere existimantur. Sic e. g. rapiens puellam ex uno territorio & stuprans in alio, ab utriusque territorii Magistratu puniri potest. Hippol. de Marfil. ad l. un. C. de rapt. virg. Bl. ad l. si quis non dicam 5. n. 11. C. de Episc. & Cler. Unus tamen excipitur casus, ubi non mortis sed vulnerationis locus attenditur, quando se quis in uno territorio lethaliter vulneratus, in altero ex vulnere illo lethali mortuus est, quippe mortiferè vulneratus, loco & tempore percussione censetur enecatus, licet longo intervallo post defunctus sit, l. 15. §. 1. l. au lex 21. §. 1. ff. Ad L. Aquil. Costal. ad d. l. 15. Everb. in loc. top. A. temp. ad loc.*

XVI. Cœterùm si inchoatio fuerit licita, vel etiam illicita, sed cadat in speciale delictum alterius, quilibet tunc Dominus de delicto in territorio suo perpetrato jurisdictionem habet solam non concurrentem, e. g. si in uno territorio vulnus inflictum sit non mortiferum, in altero verò mortiferum, vel etiam penitus quis è medio sit sublatus, hujus territorii dominus de homicidio, illius de vulnere cognitionem & pœnam auferet, cum sint separata delicta Hieron. cagnol. in l. 9. ff. de R. J. n. 24. Quid si crimen in via publica commissum sit? Vindicatio erit Magistratus superioris, ad quem Regalia spectant, Zas. in Epit. feud. p. 5. n. 11. & seqq. Beust. ad l. admonendi 31. pag. 968. vulgò 674. §. sic via publica & §. seq. ff. de Jurejur. & Dd. comm. ad c. un. quæ sint reg. 2. Feud. 56. cum viæ publicæ ad regalia pertineant, d. c. un. l. Prator ait 2. §. Viarum 22. ff. Ne



ff. *Ne quid in loc. publ. vel itin.* Quid de jure Saxonico super hac quaestione obtineat vide *Policey Ordn. de anno 1612. tit. Justicien sachen. art. 24. rubric.* Fälle so sich auff den Landstrassen zutragen fol. 44. *ibi:* weil wegen der Fälle so sich auff den Landstrassen begeben/ &c.

XVII. Graviter amplius inter Dd. & Interpretes disceptatur super casu, si quis directò in confinio & qf. in Centro duarum aut plurium ditionum occisus reperiatur, neque constet in cujus ditione homicidium patratum sit, ad quem cognitio & definitio homicidii pertineat? Quidam ad majorem corporis occisi partem respiciendum putant, cum ita major ditionis & soli pars occupetur. Alii pro corde pronunciant, quod illud pars animalis princeps, vitæ & caloris nativi fons atque sedes. Alii caput tanquam principale quid, & imaginem, unde homo cognoscitur, per l. cum in diversis 44. & *ibid.* Beust. d. p. 674. §. concessa ff. de Relig. & sumpt. fun. præponderare volunt; quam opinionem communem asserunt, *Borch. ad d. c. un. que sunt reg. 2. Feud. 52. n. 26. Zang. p. 2. c. 1. n. 238.* Alii pedes statuunt attendendos, cum occisus ibi stetisse videatur, cum cecidit; *Niel. disput. feud. ult. in Coroll. lit. D.* Verùm cum inde haudquaquam dijudicari possit, ubi plaga illa lethalis illata sit, neque pars corporis ad quam habendus sit respectus præcisè defini queat, (vix enim contingere potest, ut citra ullam agitationem & vacillationem corpus vulneratum protinus corruat, aut rectâ procumbat, sed in agone hinc inde volvatur & revolvatur, pedesq; illud antequam caderet ex uno loco in alium agitare & perferre potuerint) his opinionibus & conjecturis valde levibus non suffragamur, potius descendimus in sententiam Baldi in l. arbor 19. ff. *Comm. divid. Deciani tract. crim. tom. 1. lib. 4. c. 17 n. 16. Treutler p. 1. disp. 19. tb. 4. Bachovii ad Treutl. ibid. arg. l. adeo quidem 7. §. ult. in fine ff. de Acquir. rer. domin. d. l. arbor. 19. in pr. ff. Comm. divid. qui ad utrumque seu cunctos cognitionem pertinere tradunt, quia cujusq; territorium censetur offensum, arg. l. si verò 5. §. interdum 2. vers. quod si ex mediano ff. de his qui dejec. vel effud.*

XVIII. Sed cum frequenter homicidæ, dum culpam erubescendi & nefandi criminis metuunt deprehendi, soleant corpora occisa in alium locum pertrahere, & in dumeta vel flumina publica projicere, videtur hoc casu ei competere de cæde cognitio



gnitio, ex cuius ditione ea peracta evidentibus signis aut præsum-  
tionibus evincitur, *arg. d. l. 1. & d. autb. qua in provincia C. Ubi de  
crim. agi oport. Trentl. & Bacb. d. loc.* Tantum de primo delinquen-  
tis foro, quod est locus, in quo delictum est patratum.

XIX. Secundum forum, cuius nexu maleficus ratione per-  
petrati criminis constringitur, est ubi domicilium habet, *l. 2. C. U-  
bi de crim. agi oport. Donell. d. lib. 17. c. 16.* Cognitio enim & ani-  
madversio delicti à subdito sive intra sive extra territorium com-  
missi, ad Ordinarium loci spectat, juxta Panormit. *ad c. cum con-  
tingat 13. n. 6. & c. ult. n. 12. de For. comp. Salycet. ad d. l. 1. C. Ubi de  
crim. agi oport.* cum aliàs forum sit cuiusq, ubi domicilium habet,  
*d. l. 2. C. de Jurisd.* & nihil habeat criminis reus loco domicilii con-  
ventus, quo detrectet & amoliatur jurisdictionem iudicis in-  
tra territorium & jurisdictionem suam jus dicentis, *arg. l. ult. ff. de  
Jurisd.* Ac procedit iudex contra facinorosos cum præsentibus tum  
absentes; & quidem contra hos, comparere nolentes, tam quo-  
ad personam per bannimentum & excommunicationem, *Zanger.  
de Except. p. 2. c. 1. n. 177. in fin.* quam quoad bona per annotatio-  
nem & immissionem in possessionem eorum, *Wes. ad d. l. 1. C. Ubi  
de crim. n. 5. & ult.*

XX. Tertium forum quod criminis reus sortitur, est ubi re-  
peritur, licet inibi nec deliquerit, nec domicilium habeat, *d. l. 1. C.  
Ubi de crim. l. Præses; ff. de Offic. præsid. l. 1. C. Ubi quis de curial. vel  
cohortal. conven.* utilitas enim publica, publicæq; disciplinæ vigor,  
cujus fit mentio in *l. locatio 9. §. quod illicite 5 ff. de Publican. & ve-  
tigal.* id exigere videntur, ne maleficia maneant impunita, & ut  
tranquillæ atque pacatæ sint provinciæ, immunes ab improbis &  
maleficis hominibus, *d. l. ita vulneratus 51. §. 2. ff. Ad L. Aquil. l. si  
operis 14. C. de pœnis, d. l. 3. ff. de Offic. Præs. Lonell. d. loc.*

XXI. Cum autem varia delinquentis indigitamus fora, non  
hoc volumus, quod quemadmodum aliàs in alternativis debitis  
electio fori est penes debitorem, *l. plerumq, 10. §. ult. ff. de jur. dot. l.  
iurjurandum 34. §. ait Prætor 6. ff. de jurejur. l. 5. §. 1. ff. Depositi, l. ar-  
bitraria 2. §. 3. ff. de eo quod cert. loc. dar. deb. c. in alternativis 70. de  
R. 7. in 6.* ita etiam electio fori sit penes delinquentem seu pœnæ  
debi-



debitorem, sed quod in criminalibus fori electio Actor indulgeatur, qui reum convenire & injuriam inlatam vindicare potest pro lubitu, vel in foro delicti commisi, vel in foro domicilii delinquentis vel tandem in foro, ubi facinorosus reperitur, *per d. l. i. C. ubi de crim. cum hoc pacto Actor semper sequatur forum Rei.*

X XII. Triplex hoc delinquentis Forum concludentes habemus quaestione. Si facinorosus audacis sui facti conscientiam percipit, & poenae formidine territus, in fugam se converterit, ditio- nemque patratu criminis fugerit, nihilo tamen minus in vincula lapsus fuerit, num remissioni, cujus in jure nostro crebra fit mentio, locus sit, *l. si cui 7. §. ult. ff. de Accusat. l. solent 7. ff. de Custod. & exhibit. reor. l. desertorem 3. ff. de Re milit. De jure communi maxime in gravioribus delictis ad locum delicti perpetrati remissio captivi cum elogio (vulgariter *Brigicht*) fieri debet, *Novell. 134. c. 5. ibidemque gl. in verb. comprehendere, d. l. si cui 7. §. ult. ff. de Accusat. & Dd. comm.* ob sequentes forte rationes: 1. quod intersit Reipub. exempla publicae vindictae edi, sceleraque eo in loco puniri, ubi fuerint commissa, *d. l. desertorem 3. ff. de Re milit. ibi malum mori, ubi contigit malum c. si peccaverit 19. in fin. caus. 2. q. 1. ibidemque vindicari injuriam ubi plestibilis orta est praesumptio, c. si illic. 29. in fin. caus. 23. q. 4.* quod & bonis satisfiat facto, vel exemplo laesis, & scandalizati timore poenae ab ejusmodi & similium delictorum imitatione deterreantur, *l. capitalium 28. §. pen. ff. de poen. 2.* quod aequitati congruum sit ei judici vindicationem delicti, aliosque actus jurisdictionales circa illud concedi, cujus jurisdictio violata est. *arg. l. 3. ff. de Offic. praesid. l. un. C. Ubi de poss. agi oport. Stephan. de Jurisd. lib. 1. c. 30. n. 5 6. & seqq. Monach. in prax. judic. p. 2. c. 5. in pr. n. 40.* 3. quod expeditior sit probatio in loco delicti, cum facilius inibi reperiantur testes, *Decian. in tr. crim. c. 19.* 4. Ne offensi si extra terminos sui fori litigare cogantur, metu longorum itinerum, magnorumque sumptuum absteriti, accusationem reformident, aut ingemiscenti cum importunitate persequantur, *Novell. 69. c. 1. §. 1.* 5. Quia sicuti debiti solutio fieri debet ad locum destinationis, ita solutio poenae destinata videtur ad locum admisionis criminis, & quemadmodum quis contrahendo sortitur forum eo loci,*

C

loci,



loci, ubi contraxit, *d. l. 19 ff. de Judic.* sic delinquendo quoque ita contraxisse intelligitur, ut se pœnæ subicere malit apud potestatem, in cujus districtu delictum perpetratum est, *d. l. un. C. Ubi de poss. agi oport.*

XXIII. Hodie tamen per consuetudinem Germaniæ aliorumq; territoriorum istiusmodi necessitas remissionū est sublata, & contrario usu à Constitutione D. Justiniani *in d. Novell. 135. c. 5.* recessum, cum moderna Imperii forma longè sit mutata ab ea quæ olim fuit, nec Principes & Status, ut antiquitus, sibi invicem devinciantur, *Paurm. lib. 2. c. 8. n. 100.* Adsolent tamen plerumque in Germania & aliis quibusdam provinciis precariò, amicitix, vicinitatis atq; benevolentix causâ, sibi invicem hoc remissionis munere gratificari, sub antigrapho seu cautione, vel (uti vocant) literis reversalibus Magistratus seu domini remissionem petentis, ne isthæc remissio jurisdictioni remittentis nocumento sit futura, aut præjudicialis, *Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 16. n. 30. vers. solet tamen plerumq; § n. 31.* Pari modo solet nonnunquam Magistratus loci criminis commissi reum remittere cum elogio ad Magistratum unde delinquens est, seu domiciliū, idq; ex causâ *l. non est dubium II. §. un. ff. de Custod. & exhibit. reor.* si e. g. reus privilegium fori objiciat, eoq; revocet, *l. de militibus 9. ff. de Custod. & exhibit. reor.* vel si delictum ad injuriam provincialium spectet, aut in provinciâ magnopere animadvertendum videatur, *d. l. 3. in pr. ff. de Re milit.*

XXIV. Quartus demum & ultimus principalis indispicendi Forum modus, sunt Res de quibus alicubi controvertitur. Circa eas observetur definitio *l. ult. §. 1. C. Ubi in rem act. exerc. deb.* In locis in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, actionem in rem moveri; idq; vel adversus possidentem Civiliter, affectu sc. dominantis, aut opinione dominiū, *§. de iis a. servis 4. vers. idem placet, Inst. per quas pers. cuiq; acquir. in pr. Inst. de Interdict. Donell. lib. 5. Comment. c. 6.* Vel adversus Quasi possidentem, hoc est, naturaliter, & non jure dominiū; Ejusmodi possessores sunt Vasalli, Emphytevtæ, Creditores pignoratitii & alii. Similiter qui simpliciter possident, ut Depositarius, Commodatarius, ut & is qui neque civiliter neque naturaliter possidet, sed cum prius possideret.



fideret, dolo possidere desijt, *l. qui petitorio 36. in pr. ff. de R. V.* Non  
attento num quis per se possideat, an per alium, *l. si quis 2. C. Ubi  
in rem act. exerc. deb. & ibi Dd. comm. Monach. c. 5. in princ. n. 55. &  
56. num absens vel præsens sit, Zang. p. 2. c. 1. n. 285. num Clericus  
sit an Laicus, arg. d. c. ult. de For. comp. Socinus ad c. sane 3. eod. n.  
3. Andr. Tiraquell. de retract. lignagier §. 32. n. 80. & 81. Gail. lib. 1.  
obs. 37. n. 4. & 5. Myns. cent. 1. obs. 22. n. 2. Monach. d. loc. n. 58. & 59.  
nū honore superior, par vel inferior iudice loci rei sitæ, Monach.  
d. loc. n. 60. num agatur iudicio possessorio, seu de possessione aut ad  
possessionem, *d. l. un. C. Ubi de poss. agi oport. l. un. C. Ubi de be-  
red. agat. d. l. ult. C. Ubi in rem. act. exerc. deb.* vel agatur iudicio  
petitorio seu de proprietate, rei acquisitione & apprehensione,  
*d. l. ult. C. Ubi in rem. act.**

XXV. Huc etiam spectat Arrestum Saxonicum, realem pro-  
ducens actionem, ita ut ubilibet ubi res est, non modò eam impe-  
trare quis debeat, sed & actione persequi hypothecariâ, sive debi-  
tor eandem possideat, aliusve, *Coler. de process. exec. p. 1. c. 2. n. 187.  
Zang. d. p. 2. c. 1. n. 95.* Spectat huc quoque actio Emphytevticaria,  
quæ similiter coram iudice, in cuius ditione bona sita sunt, quam-  
libet Emphytevtis sit Ecclesiastica instituenda venit, *Jason in l. 1.  
n. 73. C. de jur. Emphytevt. Mynsing. cent. 4. obs. 95.*

XXVI. Idem observari solet in duplicibus istis (uti vocant)  
iudiciis, seu mixtam causam habentibus, quales sunt Familæ her-  
ciscundæ, Finium regandorum, Communi dividundo, §. *quadam  
actiones 20. Inst. de Action. l. 1. ff. Fin. reg. l. item Labeo 22. §. pen. ff.  
FAMIL. hercisc. l. in communi 3. ff. Commun. divid.* quæ actiones quam-  
vis origine personales sint, sine tamen & effectu ac naturâ suâ mi-  
xtam causam habent, quam ad se trahit simplex, efficitq; ut deter-  
minatū in casu uno obtineat etiam in casu altero, utpote qui simul  
iuncti sunt inseparabiles *l. si ita scriptum 13. ff. de Liber. & post. ibidemq;  
Dd. & adl. 2. in pr. ff. de V. O.* Huic consonat Actio ad exhiben-  
dum, quæ quantumvis personalis sit, rem tamen mobilem sequi-  
tur, & causâ ejus, quemvis possessorem *l. 1. l. 3. §. est autem 3. &  
seqq. l. Celsus 5. §. 2. l. pen. ff. Ad exhib. l. 1. C. eod.*



XXVII. Res quæ jurisdictioni aliquem subijciunt sunt 1. Immobiles seu soli; vel Mobiles; vel Se moventes, *l. si res 10. ff. de R.V. l. quod tegatur 38. ff. de Judic. l. à D. Pio 15. ff. de Re judic. Donell. lib. 17. Comm. c. 17. Vult. ad d. l. 1. C. ubi in rem act. n. 16. Monach. d. loc. n. 54.* 2. Corporales quæ propriè possidentur, *l. possideri 3. in pr. ff. de Acquir. vel amit. poss. vel Incorporales, ut jura & servitutes, quæ licet propriè non possideantur, l. sequitur 4. § si viam 27. ff. de Vsurp. & Usu. quasi tamen possideri dicuntur l. quod si 16. § Julianus 4. ff. de hered. pet. l. ait prator 2 §. ult. ff. de Precar. l. ult. ff. uti possid.* 3. Ecclesiasticæ vel Prophanae, *Zang. d. p. 2. c. 1. n. 270.*

XXVIII. Probè hîc notandum, superiùs *sub reb. 24.* allatam definitionem *l. ult. C. ubi in rem act.* rebus hereditarijs accommodari non posse, cû in ijs Actori, ut Reû vel in Foro domicilij, vel in Fororum sitarum ad iudicium trahere possit, maximè concessum videatur, per *d. l. un. C. ubi de hered. agi oport. Donell. d. loc. Zang. d. loc. n. 288. & seqq. & n. 350.* modò reus res hereditarias vel pro herede vel pro possessore possideat, *l. regulariter 9. l. pro herede. 11. & seqq. ff. de heredit. pet. l. hereditatis 7. C. eod.* Quod si autem res hereditariæ in diversis constitutæ territorijs, petitionem quoque earum, in tot locis, in quot reperiuntur contra possessorem intentari posse non dubitatur. Ammonent tamen Dd. hanc debere observari cautelam: Si nolit Actor diversa tot iudicia majoribus sumptibus, laboribus, ambagibus & temporis tractibus, quod stomachari plerumque solet, adire, omnium illorum iudicium, in quorum ditionibus res hereditariæ sitæ, communem Magistratum, seu iudicem proximè superiorem compellet, & sub eodem controversiam suam terminet.

XXIX. Hactenus modos sortiendi forum principales enumeravimus, operæ nunc est redundantis, modos etiam Minus principales penetrare, eorundemque interiora delibare. Primus itaque modus minus principalis sunt Causæ, eæquæ vel Fiscales, vel Ecclesiasticæ, vel Feudales, quæ singulæ coram illo, cui de ijs cognoscendi potestas facta est, terminandæ sunt. De quibus agemus membratim 1. Causæ fiscales, detractâ Jurisdictione præfidentibus, qui alioqui omnium rerum jurisdictionem habuerunt in provinciâ, generali lege delatam, *l. preses. 4. ff. de Offic. pres. l. si in ali-*

*am. 7.*



am 7. ff. de Offic. procons. & cōstituto Procuratore Fisci seu Cæsaris, cœperunt ad cognitionem hujus pertinere, ita ut nec ad Proconsulem aut præsidem revocari potuerint, l. 1. & 2. C. ubi causæ fisc. Donnell. d. lib. c. 9. Hodie ad Cameram Imperialem immediatè spectant, Ordin. Cam. p. 2. tit. 20. §. fin. Gail. lib. 1. obs. 1. n. 25.

XXX. 2. Causæ Ecclesiasticæ judicio Ecclesiastico subsunt, c. si Clericus 5. & seqq. c. licet 10. & seqq. & t. t. de For. compet. c. contingit 8. ubi Dd. de Arbitr. Marant. p. 4. dist. 11. n. 8. Myns. cent. 2. obs. 67. Tholos. syntag. lib. 49. c. 1. n. 11. Hæ causæ Ecclesiasticæ concernunt (1.) Matrimonium, sic agatur de matrimonio valido vel invalido, item num quis ex legitimo matrimonio natus sit, nec ne, c. 1. c. causam & seq. qui fil. sint legit. vel si aliàs de jure & viribus matrimonij quærat, c. multorum. 10. caus. 35. q. 6. c. accedentibus 11. de Excess. prælat. c. 1. in pr. de Consang. & Affinit. Tholos. syntag. lib. 9. c. 21. n. 2. & 6. (2.) Crimen Adulterij quoad separationem thori, & habitationis, & quoad lucrum dotis, c. plerumq. 4. de donat. int. vir. & ux. c. tua. de Procurat. Tholos. lib. 36. c. 6. n. 32. (3.) Crimen Simonie Gl. in c. cum sit generale 8. de for. com. (4.) Crimen hæreseos, Matth. 18. v. 17. c. abolendâ 9. c. excommunicamus 13. de Hæret. c. ut inquisitionis 18. §. prohibemus, eodem in 6. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. q. 8. n. 127. Decian. in prax. crim. lib. 5. c. 25. n. 1. Tholos. lib. 33. c. 7. n. 2. & 4.

XX XI. 3. Causæ Feudales ratione peristaseos, respectuque contententium personarum sub diversis agitantur judicib9. Quod si enim regalis Feudum sit dignitatis, puta Ducum, Comitum, Marchionum &c. solus Imperator aut Rex decedit & terminat lites, lib. 1. Feud. tit. 18. 2. Feud. tit. 34. in pr. Si verò minoris dignitatis, Feudorum disceptationes aut per Dominum aut per Pares curiæ solos, aut per hos & illum simul, aut per Ordinarium loci, aut per Arbitros electos, sopiuntur. Per Dominum, si inter duos Convasallos agatur de Feudo, vel ejus parte, vel de finibus ejusdem, vel antiquitate, c. ex transmissa 6. de for. comp. c. caterum 5. de Judic. 2. Feud. 15. in fin. Per Pares curiæ solos, ubi controversia inter Dominum & Vasallū de Feudi vel investiturâ, vel violentiâ, vel de commisso aut similibus, 2. Feud. 22. vers. si verè vasallus 2. Feud. 16. 2.



*Feud. 20. in pr. 2. Feud. 39. §. si inter. 2. Feud. 55. §. 2. v. si verò 2. Feud. 34.*  
Per Dominum & Pares curiæ simul, si duo asserti vasalli, quos ta-  
men non constat pro certo esse vasallos contendant, 2. *Feud. 15. in*  
*fin.* Per Ordinarium loci, si de Feudi promissione controvertatur  
inter Dominum & vasallum. 1. *Feud. 3. 1. Feud. 25. 2. Feud. 20. vers.*  
*Opponit.* Vel vasallus se vasallum esse neget *Gl. ad §. fin. tit. 15. lib.*  
*2. Feud. & ibi Dd.* vel dominus cum alio, quàm vasallo, fortè cum  
eo, qui id à vasallo emit, disceptet, 2. *Feud. 41. §. fin. & 42. & simi-*  
*libus casibus plurimis.* Per arbitros electos, casu quo dominus  
aut Pares non cognoscunt, 2. *Feud. 15.* De his & alijs causarum  
Feudalium judicijs & tribunalibus diversis, ut & varijs agendi mo-  
dis, varijsque probationibus, videatur *Rosenthal. Synops. jur. feud.*  
*c. 12. Tholos. lib. 6. c. 22.*

XXXII. Succedit secundus minus principalis forum sortiendi  
modus, qui est Continentia Causæ non dividendæ, *l. 1. & t. t. de*  
*quib. reb. ad eund. jud. eat. l. quotiens 3. l. nulli 10. C. de Iudic. c. 1. de*  
*sequest.* quæ vocatur conjunctio & connexio judiciorum, com-  
munem rationem habentium, & inter se ita cohærentium, ut u-  
num sine altero dilucidè cognosci & definiri nequeat. Ideoque  
istæ causæ sive sint Civiles *d. l. 1. & 2. ff. de quib. reb. ad eund. jud.*  
*eat. d. l. 3. C. de Iud. d. c. 1. de sequest.* sive criminales *l. ult. ff. Ad l.*  
*cornel. de sicar. l. item 11. §. 1. & 2. l. illud 32. l. ita vulneratus 51. ff. Ad L.*  
*Aquil. l. non ideo minus 5. in fin. C. de Accus. sive Feudales, Bl. ad c. un.*  
*§. ult. de controvers. feud. ap. par. term. 2. Feud. 16. n. 3. sive Ecclesia-*  
*sticæ & Spirituales, c. ult. de Rescript. c. dispendia 3. eod. in 6. coram*  
*eodem judice, sive is sit Ordinarius sive Delegatus, Menoch. de arbitr.*  
*jud. quest. cas. 371. n. 15. Monach. in d. c. dispendia 3. de Rescript. in 6.*  
*Ias. in l. nulli 10. n. 3. vers. imo plus C. de Iudic. veniunt opponendæ*  
*& terminandæ, non verò in diversa judicia dividendæ l. si qui 10.*  
*§. ult. ff. de Appell. c. 1. de caus. posses. & propr. d. c. ult. de Rescript. ne*  
*si in plura distrahantur judicia, quæ uno definiri possunt, lites sum-*  
*mo cum Reip. nocumento numerum excedant, & ultra vitæ homi-*  
*num extendantur modum, l. item si res 4. §. 1. ff. de alienat. jud. mut.*  
*caus. fact. l. properandum 13. in pr. C. de Iudic. Novell. 18. c. 8.*

XXXIII. Triplicem autem causæ continentiam deprehendi-  
mus:



mus : Personalem, Realem & Judicialem. Personalis dicitur, quando agitur de pluribus personis causam communem habentibus, & trahitur vel ex persona Actoris, cum pluribus Actoribus unus eadem obstringitur obligatione, e. g. promissor pluribus reis stipulandi, *l. 1. Inst. & ff. de duob. reis stipul. & promitt.* seu cum plures obtinent jura aut res communes ex societate, aliove modo, aut etiam ex delicto. Vel inducitur ex personâ Rei conventi cum eadem res à pluribus debetur, *Bl. ad l. 4. n. 3. C. de Jurisd.* Realis est, cum idem debitor agenti plura debet, quæ cum uno iudicio exigi possint, ad diversa non sunt protrahenda *d. c. ult. ubi Gl. Panormit. & Dd. de Rescript. d. c. 3. eod. in 6.* Judicialis est, quando vel plures actiones se invicem non consumentes ad eandem rem competunt, *l. 1. & 2. C. de Legat. l. 9. § 1. ff. de tribut. act. l. 1. ff. de bonor. rapt. vel plures res eadem actione exiguntur, d. l. quotiens 3. C. de Iudic. d. l. 1. & 2. ff. de quib. reb. ad eum d. jud. eat. l. hac actio. 2. ff. Fin. regund. d. §. quadam 20. Inst. de Action.* Vel una actio alteri præjudicium adfert, *d. l. 3. C. de Iudic. l. 1. C. de Ordin. judic. l. 16. & seqq. de Except. & prescript. Myns. cent. 1. obs. 100.* vel plures actiones relationem quandam ad invicem habent, ita ut una per alteram præparetur *d. l. nulli 10. C. de Judic. l. sive possidetis 16. C. de Probat. Gail. 1. obs. 32. n. 11.* quo spectant Actio præparatoria vel præjudicialis, & præparata seu principalis *arg. l. 13. C. de R. V. Wes. ad d. l. 10. C. de Judic. Causæ incidentes & emergentes c. pen. vers. de legati ff. de In integr. restit. c. 1 de ordine cognit. l. intra utile 39. in pr. ff. de Minor. l. 1. C. de Offic. Rect. provinc. d. l. 3. C. de Iudic. l. 1. C. de ordin. judic. l. 2. & ult. C. de ordin. cognit. Vid. Gædd. ad c. 1. de sequest. possess. n. 30 34. & seqq.*

XXXIV. Confectariò & concatenatâ qf. serie huc spectat Conventio & Reconventio, in quâ pari progredimur processu, sub quo enim Judice, sive sit Ordinarius sive Delegatus *l. cum Papinianus 14. C. de sent. & Interloc. & ibi auth. & consequenter, c. 1. & 2. de mut. petit. Gail. 1. obser. 35. n. 12.* Conventio instituta, sub eodem & Reconventio institui & terminari debet, *l. 22. ff. de Iudic. d. l. 14. C. de sent. & Interloc. Novel. 96. c. 2. §. 1. c. accusatores 1. caus. 3. q. 8. d. c. 1. & 2. de mut. petit. nec refert res & causæ, sive sint eadem sive*



sive diversæ & separatae, l. si idem ii. §. i ff. de Jurisd. l. i. §. ult. de ex-  
traord. cogn. l. i. C. rerum amot. d. c. i. de mut. pet. Arnold. de Reyger  
proces. jud. disp. 3. tb. 22. modò Judicis jurisdictione ratione causæ  
vel rerum, quæ reconventionem continentur ita fundata sit, ut per  
modum Conventionis vi ordinariæ vel delegatæ vel prorogatæ  
Jurisdictionis de ijs cognoscere potuisset, Spec. lib. 2. p. 1. de Re-  
conv. §. nunc dicamus 2. n. 9. vers. Et trad. regulam, Molig. de Reconv.  
q. 9. Zang. p. 2. c. 1. n. 378. Arnold. de Reyger. d. disp. 3. tb. 28.

XXXV. Specialiter autem & expressè in jure quasdam causas  
à reconventionem exceptas deprehendimus, quarum sunt 1. Causæ  
Feudales c. un. §. fin. vers. præterea. 2. Feud. 55. Gl. Germ. ad Säch-  
sich Landrecht lib. 1. art. 61. n. 3. vers. auch sind drey sachen / darumb  
du nicht darffst wieder Klagen etc. Et vers. das dritte ist vmb dein  
Lehn. nisi sint peræquæ feudales, hoc est, tam reconventio quàm  
conventio ad negotium Feudale, seu ex naturâ Feudi promanans  
spectet, Sigism. Stinckelthaus contr. feud. disp. 11. contr. 21. lit. a.  
2. Causa Spolij, nisi reconventio super simili spoliationis causâ  
intentetur, c. ult. de Ordin. cognit. c. ult. de Restit. spoliat. Molig. q.  
66. 69. Et seqq. Dominic. Card. Tuschus tom. 6. concl. 61. n. 21. Et  
seq. 3. Causa Depositum, l. pen. C. Deposit. Molig. q. 43. Tuschus  
d. loc. n. 17. 4. Causa Appellationis, l. consensisse. 2. §. 3. vers. ei  
quoq. ff. de Iudic. Tuschus d. loc. n. 20. 5. Causa fractæ pacis, Gail.  
lib. 1. de pac. publ. c. 12. n. 4. si reconventio hæc exceptio oppo-  
natur, Gail. d. loc. n. 9. quo etiam referimus causas criminales,  
l. is qui reus 5. in pr. ff. de publ. jud. ubi Br. ubertim, Marant. p. 4.  
disp. 6. n. 56 & seqq. Molig. q. 60. Et seqq. Trentacinq. lib. 2. tit. de  
Mut. petit. resol. 1. n. 38. Et seqq. criminaliter intentatas, Iul. Clar.  
lib. 5. sent. §. fin. q. 2. in quibus reconventio postquam Rei nomen  
inter reos receptum, locum non habet, Gail. d. loc. n. 1. ubi plures  
allegat. Vbi verò crimina uno momento, sive in eadem rixâ fue-  
rint commissa, reconventio admittitur ratione connexitatis, quæ  
operatur, ut unum delictum censeatur c. translatio 3. de Constit.  
ubi gl. in verb. quod de uno, Et Canonist. comm. d. l. ult. ff. Ad L. Cornel.  
de sic. Hippol. de Marsil. singul. 251. n. 1. Donell. 17. Comment. c. 18.  
Deniq; omnes causæ quæ non habent judicialem disceptationem,  
seu



seu quæ aliàs celeritatem exigunt, moramq; respuunt, *Marant. d. p. 4. dist. 6. n. 27, Monach. prax. judic. p. 5. c. 4. §. 8. Tuschus d. concl. 61. per tot.*

**XXXVI.** Tertius modus minus principalis judicij competentiam exstruens, est conditio personæ seu Privilegium, quod est vel Privatum, singulari cuidam personæ, ne coram alio iudice quàm privilegiato invita conveniatur, per speciale rescriptum ab Imperiali culmine indultum: Vel publicum, publicis legibus & constitutionibus expressum, integroq; ordini concessum. Publico hoc fori privilegio focillantur tum Actores, tum Rei. Actores eatenus, ut contra juris communis ordinem ad proprium iudicem privilegio sibi concessum, Reum protrahere possint, etiamsi aliàs ejus iudicis jurisdictionem Reus non agnoscat, Rei in tantum ut alibi conventi ad suum iudicem iudicium revocare possint, quamlibet ubi conventi, domicilium habeant, aut contraxerint, aut res de cujus possessione aut proprietate ambigitur, sita sit, *Donell. d. lib. 17. c. 20. Vide prolixè de hac materia tractantem Dominic. Card. Tuschum. d. tom. 6. lit. P. concl. 722. & seqq. usq; ad concl. 764. exclus.*

**XXXVII.** Hujus generis privilegium indultum est I. miserabilibus personis, miserâ & acerbâ calamitatum conditione lacinatis, sive convenientibus sive conventis. His enim si res sit cum potenti adversario, cujus fortè potentiâ reformident, aliudve vereantur, permissum est illis, cognitionem & iudicium implorare principis, ad cujus tribunal adversarij, vel convenientes, litem suam persequi, vel conventi agentibus respondere adiguntur, *l. un. C. quando Imper. int. pupil. & vid. Donell. d. loc. Covarr. pract. quest. c. 6. & 7. Antonin. Tessauro. decis. 177. n. 1. Gail. 1. obs. 1. n. 40. & si ibidem quoque miserabilibus personis vel justitia planè denegetur, vel frigidè saltem & perperam administratur, licitè ad Episcopum vel iudicem Ecclesiasticum Adversarij trahi possunt, c. ex tenore 11. in fin. c. ex parte 15. de For. comp. c. super 26. in fin. de V. S. Marant. d. p. 4. dist. 11. n. 9.*

**XXXVIII.** Sunt autem miserabiles personæ I. Pupilli, qui Orphani simul & impuberes, *l. pupillus 239. in pr. ff. de V. S. quantumvis tutorem habentes, non verò in potestate patris aut avi*  
**D** **existentes,**



existentes, *Vinc. de Franch. decis. 671.* neque minores, quamlibet patre orbat.

XXXIX. 2. Viduæ opimo vitæ honestamento decoratæ, non luxuriosæ, (quippè hæ jocundâ suâ luxurie privilegia amoliuntur, foriq; indulgentiam confringunt, *Covarr. pract. quest. d. c. 7. n. 1. Menoch. de arbit. judic. quest. cas. 66. n. 10. Bernhard. Grav. concl. n. 10.*) licet sint divites, *c. ex parte 15. de for. comp. Sebrad. tract. feud. p. 10. sect. 2. n. 35.* non enim divitiæ sed conditio viduitatis hic trutinanda, *Gail. d. loc. Menoch. d. loc. n. 11. Covar. d. c. 7. n. 2. Nat. ta conf. 590. vol. 3. Vinc. de Franch. decis. 100. n. 19. Grav. d. loc. n. 4. Tessaur. decis. 177. n. 3.* Quod de viduis diximus, non in commodè ad eas quoque porrigitur foeminas, quarum mariti exules facti, ab hostibus capti, ad triremes damnati, proscripti, aut diutius absentes, & per hoc ipsis inutiles sunt, *arg. c. 2. § sed neq; istud, de transl. Episc. Jason. ad l. fin. ff. de Offic. ejus cui mand. est jurisd. n. 3. Vinc. Carott. decis. cas. 106. n. 1. 2. & seqq. Grav. d. concl. n. 8. Treut. p. 1. disp. 3. ch. 10. lit. B. Menoch. d. loc. n. 9.* Pariter & eas foeminas privilegio gaudere placet, quæ parentibus orbæ cælibem agunt vitam, nec usquam viro nuptæ fuerunt, sive minores sive majores sint 25. annis, *Vinc. de Franch. decis. 100. vers. sed quia in sacro. Grav. d. concl. n. 12. & 13.* sive divites sive pauperes sint, *Francis. Milan. Regn. Sicil. decis. 5. n. 2. lib. 2. Grav. d. loc. n. 14.* cum & hæ viduæ dicantur, *l. 242. § viduam 3. ff. d. V. S. cum parilis ratio subsit, infirmitas sexus & judicij imbecillitas, Br. Alber. Fulgos. & vulgò Dd. ad d. l. un. C. quando Imper. inter pup. & vid.*

XL. 3. Morbo exhausti & enervati diuturno, *d. l. un. C. quando Imper. int. pup. & vid. ubi Cujac. in Parat. Gail. d. loc. seu fontico, qui cujusq; rei gerendæ impedimento est l. quesitum 60. ff. de re judic. l. morbus 113. ff. de V. S. l. ult. §. 1. ff. de Edict. edict. quales sunt furiosi, mente capti, muti, cæci, surdi, leprosi, claudi, membris mutilati, ejusdemque farinae alij, §. sed & 4. Inst. de Curator. Vult. ad d. l. un. n. 8.* modo non voluntate suâq; culpâ tales sint, *Vult. d. loc.*

XLI. 4. Fortunæ injuriâ depressi, *d. l. un. in fin. uti sunt pauperes, captivi, c. pauper 72. caus. 11. q. 3. c. significantibus 38. de Offic. & potest. jud. deleg. l. si quis ad declinandum 49. C. de Episc. & Cler. lib.*



1. *illicitas* 6. §. *fin. ff. de Offic. pres.* modò & hi non culpâ suâ ad ino-  
piam & captivitatem redacti fuerint, *Covarr. pract. quest. 6. 6. n.*  
3. *Trentacinq. resol. 2. n. 32.* & similes omni ope destituti, *Inno-*  
*cent. ad d. c. significantibus 38. de Off. & pot. jud. deleg.* quorum  
determinatio extra casus jure expressos judicis arbitrio commit-  
titur, *Br. ad d. l. un. n. 5. Bl. ibid. n. 3. Menoch. d. cas. 66. n. 1. & 13.*  
*Schrad. d. sect. 2. n. 35.*

XLII. Conceditur hoc fori privilegium II. Fisco, qui sive  
sit Actor, sive Reus ad suum judicem revocare potest, *l. si minori 3.*  
*C. de jure fisc. lib. 10.* qui regulariter olim erat Procurator Cæsa-  
ris vel Rationalis, *l. 2. l. cum veniente 4. & seq. C. Ubi caus. fiscal.*  
*l. un. C. de Vendit. rer. fisc. lib. 10. d. l. 3. C. de jure fisc.* In Crimina-  
libus autem ex delicto descendentes Præses provinciæ, *l. 1. l. pro-*  
*curator 3. l. cum aliquid 8. & seqq. C. Ubi caus. fisc. Wesenb. ibid. n. 3.*  
In extraordinarijs verò de restitutione in integrum adversus fiscum,  
Præses provinciæ, unâ cum Procuratore Cæsaris, *l. si adversus 2.*  
*C. si advers. fisc.* Hodie mutatâ Imperij formâ, quilibet Status  
Imperij, jura summi principis in territorio suo obtinens, de causis  
fiscalibus cognoscit.

XLIII. Privilegio fori ex parte Reorum gaudent i. Magi-  
stratus Inlustres, & ij, quos enumerat Constitutio Zenonis in *l.*  
*ule. C. Ubi Senator. vel Clariss.* qui propter præminentiam & prin-  
cipalis dignitatis excellentiam apud alium judicem se defendere  
& causam dicere non coguntur, quàm apud supremum Princi-  
pem, vel eum, cui princeps eam cognitionem committendam  
putarit, *Donell. d. c. 20. Vult. ad l. 1. C. Ubi Senat. vel Clariss. n.*  
*27. & seqq.* Hodie quid obtineat latius deducitur in *Ordinat.*  
*Cam. part. 2. tit. 2. 3. 4. & 5.* ad quam Lectorem brevitatis causâ  
remittimus.

XLIV. 2. Milites armatæ militiæ, qui propter singularem beni-  
volentiam & favorem, ne fortè famâ belli post tergum relictâ,  
maximo cum Reipub. detrimento avocentur, non nisi coram  
proprio Magisteriâ potestate constituto judice conveniri debent,

D 2 in



In causis tum civilibus, *l. magisteria 6. C. de Jurisd. l. certi juris 17. C. de Judic. l. si quis 7. ff. eod. l. pen. C. de pact.* tum criminalibus, modò crimen sit militare, & non enorme, *l. desertorem 3. in pr. ff. de Re milit. l. de militibus 9. ff. de custod. & exhib. reor. l. ult. in pr. C. de Re milit. lib. 12.* si enim illud fuerit atrox, tunc secundum illud Juri Tryphonini effatum in *l. auxilium 37. in fin. ff. de Minor.* frustra Leges invocat, qui contra eas committit, sed Judex ejus loci, in quo miles deliquit, contempto privilegio habebit cognitionem & coercionem delinquentis, *d. l. desertorem 3. in pr. ff. de Re milit. Tholos. Syntag. lib. 19. c. 17. per tot. Donell. d. loc.*

XLV. 3. Scholares, horum enim scientiâ totus illuminatur mundus, & ad obediendum DEO ac Imperatoribus, tanquam ejus ministris, vita subjectorum informatur, *Auth. habita C. Ne fil. pro patr.* Scholares accipimus eos, qui in Academijs seu Universitatibus degunt, tam docentes sive Professores, quàm discen-tes seu Studiosos, *d. auth. habita.* modò facto & animo sint Studio- si, in Album Universitatis recepti, *arg. l. matriculam C. de Agent. in reb. lib. 12. Menoch. lib. 2. presumpt. c. 78. n. 3. Gail. . 106f. 21. n. 9. Matth. Steph. de Jurisd. l. 3. p. 2. c. 5. n. 17.* oleum & operam literis impendentes, *arg. l. si duas 6. §. 4. ff. de Excusat. Harpr. ad §. item Roma 15. Inst. de Excusat. tut.* non vagabundi aut circumforanei, *Gail 2. obs. 118. n. 9.* His, quos diximus, Scholaribus ratione fori, id tribuitur privilegij, ut si litem ijs quis super aliquo negotio sive Civili sive Criminali *arg. l. in criminali 5. in pr. C. de Jurisd.* move- re conatus fuerit, hujus rei optione datâ Scholaribus, eos coram Domino vel Magistro suo ( hoc est, Academiæ Primicerio seu Rectore ) vel ipsius civitatis Episcopo quibus hæc jurisdictio da- ta est, convenire cogatur, *d. auth. habita, §. veruntamen. C. Ne fil. pro patr.*

XLVI. Privilegio Professorum & studiosorum gaudent quoque Professorum uxores & liberi, *l. medicos 6. l. fin. C. de Profes- sor. & Med. lib. 10.* ut & ij artifices, hominesque alij, sine quibus li- teræ vel esse nequeunt, vel quæ cognationem quandam, cum lite- ris habent, utpote typographi, bibliopolæ, bibliopegæ, pharmaco- polæ,



copolæ, pictores, illuminatores, & cum primis publici Universita-  
tis seu Academiz officiales, ut sunt Notarij, Nuncij, Pedelli, fa-  
mulj Professorum & studiosorum &c. *arg. l. 2. §. 1. l. 3. 4. 5. 6. de  
usu & habit. c. quanto 26. de Privileg. & excess. Christoph. Besold. 1.  
Polit. c. 12. tb. 42. n. 5.* quod & convenienter ad eorum Parentes,  
fratres, sorores, qui eos invisos veniunt, extendi posse putat Or-  
tholphus Fomannus *disput. de jur. & privileg. scholar. tb. 95.* Am-  
plissimus, quidem & jucundissimus hinc foret campus exspatiandi  
per reliqua Scholarium privilegia, quorum favor semper maxi-  
mus fuit, verum cum de his omnes libri sint farti, arenam sine cal-  
ce non miscemus, sed benivolos lectores eò remittimus.

XLVII. 4. Denique Clerici seu Ecclesiastici, qui regulariter  
in foro Ecclesiastico apud Episcopum diocesananum, cui subjacent,  
sunt conveniendi, *Nov. 23. c. 23 c. decernimus 2. et si Clerici 4. c. cū non  
ab homine 10. de Judic. c. 1. c. nullus 2. c. cum sit generale 8. c. cum con-  
tingat 13. de for. comp. l. placet 17 l. cum Clericis 25. l. omnes 33. C. de  
Episc. & Cler. Marant. p. 4. dist. 11. n. 2. Gail. 1. obs. 37. qui latè hujus  
regula & privilegij ampliationes & fallentias ibidem persequitur,  
Myns. cent. 2. obs. 67.* Quibus autem casibus Clerici fori privile-  
gium amittant, & ad judicem secularem trahantur, prolixè tractat  
Fachin. lib. 9. *controvers. c. 28. & seq.* quem videre licet.

XLVIII, Num verò Clerici huic fori privilegio sibi compe-  
tenti expressè renuntiare possint, in ambivio collocatur. Ponti-  
ficij juris auctores hos ita jurisdictione Magistratus Politici exe-  
merunt, ut ne volentibus quidem se judici Politico subijcere,  
id concedant, *c. si diligenti 11. c. significasti 18. de for. comp.* Sed sanè  
cum expressa sacri Codicis oracula, quæ minimè sunt dissimu-  
landa, velut vindiciæ eorum arrogantiz opponantur, *Matth. 20.  
vers. 25. & seqq. & c. 22. v. 21. Luc. 22. v. 25. Rom. 13. v. 1.* nobis hanc  
controversiam decidere est in proclivi, alijs rimandam & rumi-  
nandam eandem expendimus. Et placet hoc ipso præsentem hanc  
velificationem secundantibus veluti ventis finire. In plures qui-  
dem paginas extendi debuisset, sed adspirationi nostræ fuffece.



rit vela fecisse generalioribus, sequestratis specialioribus, quæ ab Amplifs. Dn. Præside eleganti opulentâque eruditione in prælectionibus publicis diducta, inque disputationibus aliquot suo loco & tempore adjutu Dei & affulsu fidæ occasionis operâ promptiore, examineque pensiore diducuntur. Si quid verò in magnæ hujus & altæ, à magnis solùm altisque ingenijs discutiendæ materiæ præludijs, non curiæ sed pulpito cufis, minus ad rem dictum, minus rectè explicatum fuerit, indictum, non arrosam esto, erit quod excusabit, materiæ gravitas, ingenijq; tenuitas.

Εἰς Θεὸν ἔργα τελεῖται.



## Præstantissimo ac Literatissimo Dn. Respondenti.

*Sicut is haut dextrè committit prælia, ignarus  
Qui non est, in quo sunt ineunda, loci.*

*Christianus non est ignarus, agendus apud quem  
Sit reus, & cui nam danda fiet ratio.*

*Sic nec Juridicus bonus est, si præterit illum,  
In quo jure viros possit adire foro.*

*Laudaris meritò hic c H I R T W I G I, ante omnia monstrans  
In quo nam liceat cernere jura foro.*

*Hoc, hoc perge modo, sic quæ fecere labores  
Vinces atq; brevi præmia digna feres.*

*Præmia digna feres pietas, solertia rara  
In studijs juris quæ meruere diu.*

Amico suo honorando.

f.

M. Jacobus Weller Neukirchensis  
FacPbil. Adj.

Ad



Ad Eximium & Præstantissimum Do. JO-  
NATHAN HARTVVIG. de fundamento Judi-  
cij, Competentiâ videlicet Fori disputantem, A-  
micum suum singularem.

Solus Atlas humeris magnum ceu torquet Olympum,  
Vestaque ceu quodvis ferre tenetur onus:  
Sic & Judicio incumbit Respublica: tantam,  
Crede mihi, molem sustinet una basis;  
Ipsam at Judicium fulcris innititur illis,  
Quæ quatuor chartis, suavis amice, doces.  
Publicæ ubi ergo struis tu fundamenta salutis,  
Fundamenta tuæ gloriæ & ipse locas.  
Pergè, precor, felix illisque superstrue, eritque  
Publica certa salus, gloria magna tibi.

f.  
Laurentius Christoph. Somnitz.  
Nob. Pom:

---

**I**n juris Campum falcem dum mittis, Amice,  
Dotes ingenij detegis, ecce! tui,  
Et certus tibi finis adest, scopus unicus, ad quem  
In studiis tendis nocte, dieq; tuis.  
Egregium factum! veniat tibi fama perennis.  
Et patriæ nostræ commoda mille feras!  
Non est quod metuas morsus, & scommata momi:  
His nemo caruit, qui pius, atq; bonus.

Ita Calamo currente gratula-  
batur Popolari & Amico suo  
integro.

M. Petrus Zimmerman.  
Massoviâ Pom.



Affidavit  
NATHAN HARTVIG de fundatione  
Cij Corporacione videlicet for...  
mitem suum iugiter

Solus A...  
V...

Sic & J...

Quo...

Solum...

Qu...

P...

F...

P...

P...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...


...

...











Wittenberg, Diss., 1634-39

ULB Halle 3  
005 151 511




TA → OL


VDA 7











B.I.G.

Farbkarte #13

JURIDICA

# COM- NTI.

lijsq; concurrentibus  
& digesta

NTE GRATIA  
*lissimi Jureconsultorum  
ad Albim Academia,*

DE  
**STRAUCHIO,**  
enissimi ac potentissi-  
onsiliario, Collegij Juridici  
Consistorij Ecclesiastici  
fessore,

*n proponit*  
**ARTVVIG.**  
POM.  
Ctorum,  
*septimâ matutinis.*  
rim.

*egnis manus iniiciantur, nisi FORO  
titerit, partarum rerum celo cumulus*

RGÆ,  
ad, Typogr. Anno 1635

*1635*  
*288*  
*7*

*(4)*

*5*

